

Io. Bap. Rub. Pegas. in Monstrū Prefatio.

Labitur tempus pedibus seueris
Omnibus ducens trepidam senectā:
Labimur passim ut peragrante uento
Aequora ponti.

Ducimus septam grauibus periclis
Inter infandos miseri tumultus/
Inter aduersos properi recessus
Vndiq; uitam.

Linquimus tandem freta praua mūdi:
Linquimus tandem domini superbū
Quicquid incerto ueneramur orbe
Sorte fauente.

Sape perplexis uariis figuris
Nostra portentis/uariisq; monstris
A/styge emissis Phlegetonte natis
Vita citatur.

Vita sit nulla stimulata sorde:
Viuite at summo placituri olympos:
Certius nobis nihil esse morte
Mente putates.



Monstra deum uariis cur sint implexa figuris
 (Pegaseas nā sola facis cōcurrere lymphas)
 Musa refer : sancto quæ prospicis omnia uersu :
 Ne lateant nostros horrentia monstra nepotes :
 An Cereris soboles stygio delapsa baratro ♦
 Eueniat / querulæ matris miserata labores :
 Vnde datum sceleri ius hoc : mentitaq; ueros
 Mēbra habitus : patribus seu queis cēpere uapores
 Corporeos : moneant / seu tristia fata reportent
 (Pegaseas nam sola facis cōcurrere lymphas)
 Musa refer : sanctoq; prospicis omnia uersu ♦
 Fessa hominū uarias testantia sydera mortes
 Erubuere polo : fixum Cynosura cubile
 Et tardum nautis sydus mutasse Bootes
 Creditur : unde tamen ueniat tam dira creandi
 Proluuias / rigidas imitantia corpore beluas
 Agrediar ♦ Solis radii / Lunæq; uapores
 Corruptæ : errores crebri / atq; utriusq; labores
 In nos iuris habent / tantum / uel nostra necandi
 Corpora / ab astrifero quantum hos qui corrigit axe
 Mortales miseri quantis stimolata periclis
 Vita & mēbra manent nostra : ut dū matris in aluo
 Condimur : inficimur matris per uota ferarum
 In genus immistum : coitus si femina beluæ est
 Perpeffa : hinc referunt formatum mynotaurum

Centaurosq; alios : Sphyngas / toruasq; Lycifcas /
 Et rapidos Pardos celeres genuisse Leçnas ♦
 Postq̄ tartareo Proserpina rapta tonante
 Floribus eiectis : stygios miseranda momordit
 Ore cibos : matri medium concessa per annum :
 Euenit illa habitu semper redimita profano
 Et croceas metita comas / sexumq; / genasq; /
 Ne genetrix stygio rumpat promissa Tonanti
 Fœdera : neu moles imitantis in astra paternas
 Flegra scelerato sudaret sanguine : bellum
 Hoc sectante iterum / fert fama uidere uicissim
 Hinc Hecaten matrem / pronumq; in amore maritū
 Nunc caput illa Catus induta est (nam sibi sacram
 Illam aiunt) iuguloq; caret / pone ipsa recumbit
 Cauda : femur turpis fœdatur imagine sexus
 Fœminei / rigidisq; pilis / densatur utrunq;
 Cetera sunt homines imitata nitore uenustos
 Membra feri : mollisq; cutis dispergitur æqua
 Canicie : ueluti tabulis infundit eburnis
 Purpureos succos : Venerem picturus apelles
 Haud secus : unde animā capiant / qbus atra fruant
 Ora cibis : lateant quibus aut portenta sub antris ♦
 Musa refer : nam sola facis concurrere lymphas
 Pegaseas : sancto que prospicis omnia uersu ♦
 Est apud infernum Phlegeton : sunt densa fauillis
 Flumina : sulphureos perlabitur unda liquores
 Et mixtas uoluunt tenebrosa per antra latebras



Cum flammis: hinc illa animas portenta feruntur
Constituisse sibi/moribundaq; corpora/uesci
Terror alterius/miserum gemituq; animantum.
Est prope Tantalicas mensas/fugitiuaq; uina
Antrum immane stygi sacrum (si uera loquuntur
Priscorum uatum monumenta) hec illa uorago
Qua qui plus patriæ dilexit Curtius annos
Quam proprios uiuendi/æstro stimulatus honoris
Fulmineo peruectus equo spumantia flexit
Frena/alacer fama medium perlapsus auernum.
O/candor patriæ nunquam periturus amicæ
Tu Chaos infernum stygiumq; intrare profundum
Pollutasq; domos nullis meruisse baratri
Fraudibus: atq; dolo: at fama & uirtute superna
Diceris: æternumq; tua uenerabere morte.
Illa colunt hec antra deum portenta/nec ullo
Tempore dant requies rhadamanthia iura petitas:
Nec lux ulla datur misero spectanda tumultu
Funera cur Regum magnorum præuia ducant
Musa refer: nam sola facis concurrere lymphas
Pegeseas: sancto quæ prospicis omnia uersu.
Amphitryoniadem memorant Phlegetonta Poetæ
Thesæa perithoumque suis subiisse lacertis
Confisos/foribus monstrum trifronte adamanteis
Custodem & rapuisse stygis: cælestia diti
Sæmina rapturos: quid non amor improbus audet.
Iura alacres fregere prius: dehinc antra deorum

Thenareum/nostra fecere micantia luce.
Tempore tunc illo ducibus tremefacta superbis
Tartara/terribiles scrutantur in orbe Tirannos
Nanque timent/monstris missis ut deinde trucident
Ense latente feros/placidisq; optata reponunt
Gaudia: & Aelias spondet quicumque quietes
Denique dehinc pereunt manes/corpusq; sub oris
Pollutis/cæciq; luunt incendia regni
Sæpius arma uocant/Martisq; horrentia bella
Prædicunt: qualis miserandæ infesta Rauennæ
Pugna fuit: Monstro penitus præcognita iniquo.
Ah quot ego aspexi magnorum membra uirorum
Inuoluta aliis peditum: iacet ultra iuuentus
Hesperia/Italiaq; hostis de sanguine sæui.
Vna dies ualuit pugnantia trudere mundo
Agmina: ferrato finemq; inferre tumultu.
Et captos agitare duces: sint omina belli
Sint procul Italia cedumq; cruenta cupido
Omnia sint Zephyro toto moderata salubri
Orbe: furor belli manibus pedibusq; reuinctis
Det fremitus: possit quum non sua mittere bella
Martis in imperium: pateant non aspera Iani
Limina: Pax regnet ualido regnante Leone.
Finis.



Mariangelus Accursius.

Quod Clarii responsa silent/& anhela Tonantis
Quercus abest/terris stirps noua dum colitur:
Natura omniparens lecta est: sibi cuncta licere/
Nec sua fas superis soluere operta putat.
At deus omnipotens ueraq; ab origine uerus
Pegasco rerum præscia corda dedit.
Qui regat indociles/qui carmine monstra retexat
Quo primum uates ex additis cecinit.
Illa furens/sua iura deo/sua munera cedit/
Quando inuita homines tanta aperire uidet.

Ianus Vitalis Castalius.

Pegasce an monstrum: uel te miremur? uterq;
Mirus/proluuie id/tu tamen arte lyræ.
Nam dum monstra canis/rursus portenta resurgunt
Quod culto informem concinis ore feram.
Ergo si rigidas conseruas pectine beluas
Aeternum; uiuet te duce quicquid erit.

Finis.

